

Et hoc est altaris participatione
 filij tui corpus et sanguis
 in unum qui bene dicitur celesti
 in eundem deum
Memento tuae domine famulorum
 quorum nomina tuas precibus
 pro fide et incrementum in sapientia pacis
 plis domine et omnibus in christo qui uelociter
 in uisitatione tuas ac pacis in mundum
 in eundem deum
Inter oves tuas quibus famulus
 tuus in hac hora in tuae hora
 in hac hora et hoc est deus
 in hac hora in hac hora in hac hora
 in hac hora in hac hora in hac hora



60 P. Bd.

V₉

+



ADAMI THEO
DORI, ADAMI F.

SIBERI,

PROFESSORIS ELOQUENTIAE,

ORATIO

Pro

PHILOSOPHIA,

habita

in renunciatione magistrorum,

ad ante diem quintum Idus Martij,

ANNO

Millesimo sexcentesimo.

VVITEBERGAE,

Apud Paulum Helwigium,

Typis Mullerianis.

ADAMI THEO

DORI ADAMI F.

SIBERJ

PROFESSORIS GLOVENTIAE

ORATIO

Pro

PHILOSOPHIA

habita

in reuocatione magistratus

ad eum diem quintum Iulii Christi

ANNO

Millesimo sexcentesimo

QUINTESIMO

Apud Paganum Helwigianum

Typis Mellertianis



REVERENDIS ET AM-
PLISSIMIS DECANO AC
SENIORI,

ITEMQUE NOBILISSIMO ORNA-
TISSIMOQUE REV. ET CLARISS. CANONI-
CORUM WURCENSIVM Collegio

ADAMVS TH. SIBERVS
S. P.

Nota est à sapientissimo viro prodicta, ab
eloquentissimo repetita, ipso eventu per omnes aetates
comprobata sententia; Tum demum beatas fore respu-
blicas, si eas aut Philosophi regere, aut qui regerent, phi-
losophari cœpissent. Praeclarum verò oraculum, & quod non ab alijs,
quàm à Platone proferrì, à Cicerone transferri in literas debuit, illis be-
ne sentiendi ac dicendi longè gravissimis & locupletissimis autoribus,
quos autem Philosophos Plato vocat, eos Cicero doctos sapientesq; ho-
mines interpretatur; & quod illi philosophari est, hoc isti non aliud, quàm
omne suum studium est in doctrina & sapientia collocare. Luculen-
ta sanè interpretatio, & quæ Philosophiæ tum virulentæ obrectationi os
occludere, tum somnolentæ tractationi veterum excutere meritò debe-
at: ne quis rem tantam, & ad hujus mortalis vitæ rationes divinitus con-
cessam aut aliorum, aut suo ipsius judicio atque ingenio, contrà quàm par
est, metiatur. Quæ porrò illius doctrinæ ac sapientiæ tanquam partes
sint, in quibus omne studium collocari oporteat, idem ille Cicero explicat,
quum ait, Philosophiam esse & munus divinum, & animi culturam,
& virtutis, officij, ac morum magistram, & legum inventricem, &
optimarum rerum cognitionem atque exercitationem, tum autem
omnium artium laudandarum, omniumque benefactorum, beneque
dictorum parentem, itemque vitæ artem, ac mortis denique com-
mentationem. Quod utrum verè, an vanè, & oratoriè potiùs, quàm la-
tinè pronunciarit, judicium esto eorum, qui doctrinæ & sapientiæ germa-
nae sene

na sensum habent, & nos suo fortasse tempore non minus disertè & ample, quàm facile, ut spero, exsequemur. Cujus enim negotij, obsecro, sit demonstrare, omnes ad unam res atque artes expetendas, (Theologiam Christianam semper excipio) Philosophiæ id quod sunt, debere? Et tamen in tantis illius erga mortalium genus meritis, incredibile dictu est, quàm non magnam à multis gratiam inerat; qui cum illa dignissimis modis actum existimant, quum eam vel suscipere deq; habendam, vel etiam præconio Hipponacteo afficiendam censent. Igitur quum superioribus mensibus ita accidisset, ut pro Philosophiâ aliquid dicere in munere publico, quo tum fungebamur, deberemus, & nunc in vulgus emittere, non præter rem, aut consuetudinem, vellemus, qualecunq; illud foret, ad vos potissimum mittere placuit. Id quod vobis, reverenda dignitate, nobiliq; virtute ac doctrina viri clarissimi, mirum accidere non debet. Nam vobis neque argumentum indignum est, qui doctrina ac sapientia non minus ista humana Philosophiæ, quàm illa cælestis Theologiæ egregiè eruditi estis; & ego alienus omnino esse non possum. Præterquam enim quod parenti meo cum plerisque vestrum necessitudo aut amicitia intercessit, annus jam hic est vigesimus, ex quo collegio vestro si minus de facie visus, at certe de nomine non ignotus esse queo. Quamquam ut ingenue dicam, veniam haud facile à me ipso impetro, quòd non maturius monumentum aliquod studij & observantiæ erga vos meæ extare in publico volui. Quod genus neque ex literaria parentis hereditate, neque ex nostrâ, ut sic dicam, industriæ peculio deesse admodum potest. Verùm sat citò, si sat bene: & hoc officiolum si gratum vobis fuisse intelligam, de quo dubitare me vetat perspecta multis nominibus eximia vestra humanitas, erit causa, cur majora alia, & vobis meq; digniora, cum Deo, & pro re nata subsequantur. Viteberga,
a. d. IV. Id. Junij. M. DC.

Non



ON ERAM NESCIUS, AU.

ditores, quum hoc tempore locum istum conscen-
dissem, curandum mihi, ut ad dicendum ita accede-
rem, quemadmodum accedere par esset eum, quā
non solum in hoc ornatissimo confessu orationem
habere deberet, sed etiam habendarum orationum
artificium ac disciplinam profiteretur. ac quin & officio meo, & ex-
spectationi vestrae dictionis duntaxat tractatione responsurus essem,
dubitare non admodum potui: ne argumenti genere non usque-
quaque omnibus satisfacerem, vereri haud mediocriter debui, quum
enim tot propè sensus sunt, quot sunt capita, & coelum ipsum pluvia
vel serenitate sua cunctis minimè placeat: non poterā non de dicen-
di eventu ipse quoque pertimescere. veruntamen quaecunque tan-
dem liberam sententiam consecutura essent iudicia, quum animum
in argumento certo obfirmassem, jamque statuissem, neglectae elo-
quentiae latinae, vel ut magis propriè, ac minùs invidiosè dicam, ne-
glectae saltem linguae latinae causam suscipere, quam causam & mea
mihi professio commendaret, & rei ipsius extrema indignitas impe-
raret: ecce vobis, miserabilis mihi ipsius Philosophiae species aures
oculosq; perculit, videbatur enim me monere illa atque orare, ut sui
potiùs patrocinium susciperem, & si quid dicendo valerem, in se de-
sendenda expromerem. non jam partem aliquam humanitatis, ut
linguam, aut eloquentiam latinam, sed ipsam se, caput illud omnis
humanae sapientiae, periclitari, se non nutu aut significatione aliqua
perstringi, non voculis prosciendi, non convicijs verberari: sed una
omnium atrocissima condemnatione praeter jus & fas jugulari.
ita verò se natura comparatam, ita consuetudine confirmatam, ita
factis probatam ac perspectam esse, ut non unius hominis, sed totius
generis humani defensionem mereretur. Iussi eam bono esse ani-
mo, non quòd praesidij aliquid in meo patrocinio reponere deberet,
qui essem in optima dicendi ratione vix mediocriter versatus, sed ut
causae bonitate & innocentia confideret, quo praesidio vel me tacen-
te ad victoriam unice niteretur. nihil enim posse in eam dici, quod
non adversarios aut inscitiae, aut malevolentiae redargueret; nihil
pro ea dici, quod non veritas agnosceret; nihil denique de ea dici,
quod non extra obrectationis, ac dubitationis, aleam esset positum.

quocirca ne contendendos quidem mihi videri nervos ingenij in ea re, quæ proclivi, ac responsione propè dixerim extemporalis confici possit. quod dum ago, quæso à vobis Auditores humanissimi, ut me pro Philosophia, cujus sacris omnes initiati, disciplinis eruditi estis, verba breviter facientem, æquo ac benigno animo audiat. Ego si minus consequar, operam certè dabo, ne vos auscultationis vestræ pœnitere jure possit.

Est autem accusationis atque condemnationis horrendum carmen hoc: ajunt, Philosophiam ab Apostolo in literis ad Galatas missis inter opera carnis numerari. ex quo consequitur, esse Philosophiam rem prophanam, impiam, ac nefariam, Deo sanctisque angelis invisam, ideoq; homini Christiano, nisi salute sempiterna excidere velit, modis omnibus averfandam, fugiendam, detestandam: quippe quæ sit tartari flammis, una cum ejus parente, illo malorum omnium autore Satana, exurenda. quid videtur vobis, Auditores, parùmne bona fide adversariorum sententiam recitamus, aut parùm necessaria consecutione nostram explicamus? si enim opus carnis Philosophia est, non alium habere autorem, quam eum, quem diximus, potest: nec alio censi genere debet, quam quò eam retulimus, quòd si porro hoc ita se habet: quid fiet tam multis in orbe Christiano academijs nò minùs dignitate, quam vetustate celeberratissimis, & hac certè Philosophicorum studiorum gloria ad unam omnibus vel maxime nobilitatis? quid item hac nostra Vitebergensi, quæ centum jam annos opus hoc carnis, si istis credimus, exercet, & tam strenuam Satanæ operam præbet? id quod Deus sanctissimus à nobis clementer prohibeat, & in calumniatorum illorum malevolentiam convertat. qui porro fiet religiosissimis Saxoniae principibus, qui tam proluxa munificentia studia Philosophiæ, eorumq; doctores, viros undecunque eruditissimos, fovent, tuentur, ornant? quid denique nobis fiet ipsis, qui alios Philosophiæ non solum cognitione, in suo quisque genere, instruimus, & conformamus, sed etiam honoribus excitamus, præmijs augemus, dignitate cohonestamus? Crimen profectò immane, facinus capitale, nefas nullo unquam supplicio satis expiandum. Sed non est cur istam condemnationem, tanquam Gorgonem aliquam, pueriliter extimescamus: quin eam recto vultu, ut viros decet, obtuemur, non tam ut Philosophiam ab oppressione, quam

quàm ut Apostolum à calumnia vindicemus. quid igitur dicit ele-
ctionis illud vas, tuba Evangelij, rugitus leonis nostri, tonitruus gen-
tium, fulmen eloquentiæ Christianæ, ut eum appellat Hieronymus,
ecquid ergo dicit Apostolus? ille verò in hunc modum verba facit:
*Manifesta sunt opera carnis, qualia sunt adulterium, stuprum, impuri-
tas, nequitia, idolorum cultus, veneficium, inimicitia, lites, emulationes,
iracundia, contentiones, seditiones, sectæ, invidia, cædes, ebrietates,
comessationes, & his similia.* audivimus verba Apostoli: mentio-
nem Philosophiæ minimam non audivimus, nisi fortè quia Philoso-
phorum aliqui istiusmodi criminum rei fuerunt, propterea Philo-
sophia ipsa criminanda est. imò, inquit, disertis verbis sectarum
mentio exprimitur, in quas complures divisa quum sit Philosophia,
necessariò Philosophia opus carnis erit. En crimen, en causa: cur
non solum infra bestias amandetur, sed etiam ad inferos ipsos relege-
tur humani ingenij præstantia. cedo enim, quid relinquatur inter
brutas animantes, & hominem discriminis, si Philosophiæ locus apud
homines non relinquatur? quanquam ego istam defensionis viam
nunc non insisto: experiamur potius istorum acumen ad rationem
veritatis. sectæ sive hæreses opus carnis sunt: præclare: sed quid
hoc oppugnat Philosophiam? probent illi prius Galatas istos acu-
tos & ingeniosos Philosophos fuisse, & nos eosdem diversas sectas ac
disciplinas secutos fuisse concedemus. quod quum pridie Calendas
græcas facturi sint: nos interea Philosophiam à curis otiosam esse
jubemus. & quid si illæ sectæ non Academicorum, aut Peripateti-
corum, Stoicorumve soboles erant, sed vel Cassij alicujus, aut Pro-
culi, vel etiam Thessali, aut Paracelsi? potuit enim scilicet non mi-
nùs illud accidere; ut non pauciores Medicorum, aut Jurisconsul-
torum, quàm Philosophorum sectæ inter Galatas essent. sed in re
aperta & seria neque ridere fas est, neque jus est indignari. quod
tamen etiam patientissimi stomachi, ac severissimi vultus homo
facere rectè possit. nos neutrum faciemus, sed hoc tantum satis ha-
bemus respondisse ad condemnationem istorum non tam horribi-
lem & pertimescendam, quàm puerilem, & solo contemptu proflig-
gandam: si sacrarum literarum oracula à limine salutarunt,
in quorum adytis se versari gloriantur, non poterunt ignorare, quæ-
vis ac significatio sit vocabuli hæreseos; & si epistolam illam relege-
re totam volent, necesse est fateantur, inter Galatas factiones fuisse:
excitatas

excitatas non de Philosophia, sed Lege & Evangelio, idq; opera non
Philosophorum, qui fortasse nulli eo loci erant, sed Pseudapostolo-
rum sive hæreticorum, qui omnibus ætatibus turbas in Ecclesia ma-
ximas gravissimasq; dederunt: denique si frontem modestiæ Chri-
stianæ, aut cerebrum habent intelligentiæ humanæ, calumniari de-
sinant Philosophiã, & veritatem oculis sese liquido ingerentem non
exagitent. itaque operarios istos crassos, & carnarios, vel dicam eti-
am sanguinarios Philosophiæ obtrectatores sibi ipsis relinquamus,
ac potius ad agnatos & gentiles suos, anabaptistas nimirum deduca-
mus: indignos, quibus cum verbum præterea ullum in isto diabo-
lico magis furore, quàm inhumano errore commutetur. Vobis ve-
rò, Auditores, arbitrantibus, quoniam ad audiendum excitati esse
videmini, paucis prosequar causam Philosophiæ, non ut eam univer-
sam explicem, quod esset infinitum, & non necessarium, sed ut suspen-
so ac levi saltem brachio potissima quæque perstringam. Omni-
no Philosophia nescio quo suo aut fato, aut merito cunctis se-
culis experta est non solum remissiora hominum studia, sed quod
minùs ferendum est, etiam iniquiora judicia. quum enim igniculum
illa virtutis & sapientiæ divinitus in homine accensæ, quantum vi-
delicet post funestam illam primorum parentum ruinam superesset,
excitare atque alere & veller & deberet: quicquid habebat ingenij,
quicquid judicij, quicquid industriæ ac virium, id omne ad eam rem
libentissimè conferebat, & in veritatis investigatione, ac virtutum
cultu totam sese collocabat. in quo melior ac certior eorum Phi-
losophiæ alumnorum ratio fuit, qui veri Dei cognitione aucti erant:
deterior ac periculosior fuit eorum, qui superstitionibus sese man-
ciparant. ex quo deinceps evenit, ut inter utrosque discrepan-
tes sæpe sententiæ, inter hos verò posteriores etiam absurdæ ac por-
tentosæ interdum opiniones existerent, quanquam illud veræ reli-
gionis discidium efficere non potuit, quò minùs in plerisque inter
iplos conveniret. quod genus qui in omnibus partibus Philoso-
phiæ latissimè patet, & ego apud hujus rei partim studiosissimos,
partim scientissimos verba facio, ne exemplum quidem conabor ad-
ducere. itaque quum & Chaldæi atque Egyptij, & Iudæi ac Græci,
& Romani denique rerum tum contemplationi, tum actioni sese de-
didissent,

quia

didissent, paulatim orbē terrarū Philosophiæ cognitione repleverūt,
jubetur Abrahamus Patriarcha cœlum suspicere, & nūmerū stellarū
inire: non utique ut vacca, quemadmodum est in nostrati proverbio,
novas stabuli valvas aspecturus, sed de progenie ac posteritate sua,
cuius promissionem acciperet, stupenda intellecturus ex luculentorū
illorum corporum intuitu, quorum orbēs motusque mirabiles
vel notatos jam pridem haberet, vel quotidie magis magisque cogno-
scere & observare posset. Moses vir divinus omni Ægyptiorum
sapiētia eruditus fuisse scribitur, quemadmodum Aaron frater ejus
excelluisse facundia: ex quibus liquidò apparet, tum quanta ma-
thematicarum disciplinarum, quibus Ægyptij ab ultima origine præ-
ceteris nationibus dediti fuerunt, dignitas sit, tum quæ dicendi fa-
cultatis vis ac præstantia esse soleat, utpote cujus defectu legationem
illam regiam recusare Moses necesse habuerit, Aarone in locum su-
um surrogato. Solomo ille regum omnium suæ ætatis opulen-
tissimus & fortunatissimus quanta sapiētia, quam singulari cum
laude ad miraculū usque enituerit, quis ignorat? *fuit, inquit historia
regum Iudaicorum, Solomo tanta divinitus tum sapiētia, tum pruden-
tia, tamq̃ inexhausta ingenij ubertate præditus, ut non solum Orientales
& Ægyptios omnes sapiētiæ præstantia superaret, sed universos omnino
mortales, ipsumq̃ aded Ethanem Ezraitam, & ipsum Hemanem, &
Calcholem, & Dordam Macholis filios, dixit tria millia sententiarum:
odas fecit mille & quinque. disseruit de arboribus à cedro Libani
usque ad hyssopum, quæ nascitur in parietinis: disseruit de quadrupedi-
bus, de volucris, de serpentibus, de piscibus, ita ut ejus sapiētiæ fa-
ma, quæ totum orbem terrarum pervagaretur, fœminæ pariter & viri
excitati congressum ejus atque colloquium expeterent.* O verè ma-
gnificum & gloriosum Solomonem non utique opibus ac regni ma-
jestate, quibus consequentibus seculis superiores multos habuit, sed
sapiētia, sed rerum omnium divinarum atque humanarum cog-
nitione ac scientia, quibus ex omni ætatum memoria parem habuit
mortalium planè neminem, quid porrò magis mirer, regisne tantæ
humanitatem & industriam, qui ea quæ ingenij divinitate consecu-
tus esset, tum voce, tum scriptis cum alijs communicaret, an incre-
dibilem illius temporis hominum philosophandi cupiditatem, quæ
ex universis orbis terrarum partibus ad Solomonem audiendum
certatim confluerent, ardentissimam discendi sitim ex uberrimo illo
B Sapien

sapientiae fonte expleturi? atque hoc Solomoniae sapientiae enle-
gium, ipsiusq; adeo Philosophiae praeconium operae precium fuerit
quam amplum ac grave sit attendere. mihi credite, non tanti aurum
illud, quod ex insula Ophire advehebatur, Solomoni videri potuit,
quanti hoc Philosophiae testimonium aestimari debet omnibus, quo-
rum interest philosophari. quod testimonium quum divinarum li-
terarum autoritate perscriptum & obsignatum sit, quid aliud, quam
sanctissimum ac gravissimum esse dicendum est? quatenam igitur pars
Philosophiae est, aut quae omnino scientia, arsq; liberalis, quam So-
lomo non & complexus fuerit, & tantum non professus? affirmatur
Orientales omnes, atq; Aegyptios sapientia excelluisse, at Orientales
illos, hoc est, Arabes, Persas, Chaldaeos, ipsosq; nominatim Aegyptios,
ut jam dictum est, scimus, cum liberalium disciplinarum omnium,
tum mathematicarum praecipue scientia literarum, quae ut variae ac
multiplices sunt, ita recondite admodum, & subtili in genere versan-
tur, longe omnibus alijs gentibus praestitisse. id quod non magis vo-
cari in dubium potest, quam Homerum, Solonem, Pythagoram, Pla-
tonem, Democritum, aliosq; complures ab ijs ipsis Aegyptijs in il-
lorum terra sapientiae doctrinam accepisse. idem quum universam
animalium, & arborum historiam, quanta quanta est, persecutus sit,
quis tam absurdus est, qui existimet, ipsum humani corporis fabricam
ac structuram, singularumq; ejus partium substantiam, & usum, atque
adeo animae naturam, vires, motus, facultates, omniumq; sensuum
vim, ac rationem pro neglecto habuisse? nisi forte idem judicat, & re-
ge, & Solomone dignius fuisse, asini, aut bovis, itemq; abjectissimi ali-
cuius ligni, vilissimaeq; plantae naturam inquirere potius, quam la-
borare de cognoscenda natura ejus animantis, qui cum omnibus ani-
malibus & praestaret, & imperaret, tum divinae imaginis instar re-
ferre jussus esset. jam quod tria millia sententiarum dixit, quod car-
mina fecit mille & quinque, quam id nobis gratum & acceptum, quam
Philosophiae ipsi, ac poeticae honorificum esse debet? quanquam mo-
do in hoc sensu singularis cujusdam voluptatis, ac cerba admodum moles-
tia perturbat, quod animadverto, nos de rebus desiderandis potius,
& optandis, quam videndis, aut sperandis verba facere. ubi enim tria
illa millia sive aenigmatum, sive problematum? ubi mille & quinque
ode? nimirum ubi historia ipsa naturalis, fuerunt ista, Auditores, fuerunt.
nam qui naturales illos libros nescio qua Constantinopoli asservant
dicunt;

dicunt, non magis eos verum loqui scio, quam qui mentionē audent
facere, aut repertam esse in Sicilia integram Polybij historiam, aut
custodiri in Livonia præclaros illos Ciceronis de republica libros,
ubi potè vestigium aliquod monumentorum Ethanis, Hemanis,
Calcholis, & Dordæ poëtarum? qui quum ad secundum à Solomone
sapientiæ gradum pervenisse dicantur, necesse est eos mortalibus re-
liquis omnibus præstitisse. at si esset absque uno & altero carmine
Davidico, si esset absque hoc Solomoniæ sapientiæ præconio, Ezrai-
tarum illorum nomina non magis hodie nota essent, quam caculæ ali-
cujus equestris ex duodecim illis equitum regionum millibus. *ô cœ-*
lestis ratio! ô divinæ mentis jus ac potestas! quam penitus abstrusa
& recondita sunt judicia ac decreta tua, quam non obnoxia arbitrio
humano! tu enim si propagari ad nos voluisses scriptis explicatam
illius temporis immortalitate dignissimam sapientiam, non tam lo-
cupletissima accessione auctam, quam ipsa perfectione expletam ho-
die haberemus Philosophiam. veruntamen quocunq; in hac re fato
cum genere humano actum est, id quod in medio relinquere, quam
curiositate stulta & inutili rimari debemus, nos interea animo grato
ac devoto Numini cœlesti acceptum referimus volumen aureum
proverbiorum Solomonis, quod unicum in primis superest ex im-
mensis illis sapientiæ plusquam humanæ opibus ac thesauris. quod
quum nobis ad sapientiæ disciplinam cognoscendam, ad scitè dicta
intelligenda, ad cultum ingenij capiundum, ad justitiam, æquitatem,
ac probitatem exercendam, ad conciliandam incautis prudentiam, &
ineuntis ætatis hominibus doctrinam iter muniat, aditumq; patefa-
ciat: tantò commendatius illud habere debemus, quò argumentum
ejus salutaris est & plures cōmunis vitæ partes complectitur. Ha-
bemus igitur in illo mortalium omnium sapientissimo, ac verè regum
rege Solomone, vel habuimus potius omnium planè literarum ma-
thematicarum, physicarū, ethicarū, & politicarū suis numeris exple-
tam, partibus absolutā, generibus perfectā, humani ingenij vim ac so-
lertiam, quam sive sapientiā, sive Philosophiā licet appellemus: parū e-
nim inter utrumq; vocabulū interest: quorū etiā hoc posterius eò mi-
nus invidiæ habere debet, quò plus modestiæ edita quasi voce p̄fite-
tur, ecquod ergo testimoniū gravi⁹ tribui, ecquæ autoritas locupleti-
or impartiri Philosophiæ potuit, quam hæc Solomoniæ sapiētiæ ad im-
mortalitē omnium seculorū divinis planè laudib. celebrata p̄dicatio?

quibus perspicuum, ac manifestum fit, Græcorum hominum Phi-
losofiam, cujus metam atque finem unius omnium Aristoteles &
studio consecutus, & nomine ipso professus videtur, homini veræ re-
ligionis consorti non modò non interdendam, aut abhorrendam,
sed etiam præcipiendam, & capessendam esse, neque enim ista no-
stra Philosophia alio in rerum genere vel cognitionis vel tractatio-
nis versatur, quàm illa Solomonis sapientia versata est: neque si huic
laus tam insignis tributa fuit, locus isti relinqui non debet, itaque
quod tanto regi divina tum benignitate concessum, tum autoritate
ductum gloriæ fuit: id cur turpe habere, aut noxium existimare
quis è plebe, ut sic dicam, Christianæ reipublicæ velit, causæ nihil
video, ergo quum unum atque unicum hoc divinorum oraculorum
testimonium tale sit, ut ejus fidei nihil derogari, firmitati nulla præ-
scriptio opponi, nulla objici exceptio possit: meritò Philosophiæ
dignitas, contra omnem injuriam & barbaræ inscitiae, & maleteria-
ræ infectationis tuta ac sacrosancta esse debet. nam quid ego alia
sacrarum literarum de Philosophia testimonia sollicito, quæ fortasse
minùs plena atque ampla, æque certè clara ac firma sunt omnia? at
ejus rei quum difficilius sit exitum reperire, quàm initium sumere:
quòd tanta res non dico unius horæ curriculo includi, sed ne solidi
quidem diei spacio circumscribi satis possit: eò libentius hoc labo-
re super sedendum duxi, quò vobis omnibus exploratiora dicturum
me animadvertēbam. Veruntamen quoniam hunc orationis cursum
instituímus, & nobis hoc tempore propositum est non tam laudare,
quàm Philosophiam, pro eo, quod in nobis erit, & quantum res
feret, à contumelia vindicare: non commitemus, ut insignem quen-
dam Apostoli locum, qui non solum adversarijs Philosophiæ obtres-
tandi causam præbere, sed etiam imperitioribus dubitandi dare oc-
casionem solet, inexcussum relinquamus. plus enim est in illo dicto,
ut non aliquid terroris parum attendentibus objicere; minùs certè,
quàm ut errorem asserere propius animum advertentibus possit. sic
igitur scribit ad Colossenses suos: *videte, ne quis sit, qui vos præda-
ducat, aut direptioni habeat per Philosophiam, & inanem fallaciam.*
hoc enim aut simili modo significantissimum illud græcum verbum
latine exprimendum putem. quam igitur interpretationem huic lo-
co comparamus, aut quam defensionem adhibemus, ut non capitis
damnan-

damnanda Philosophia videatur? nam certè Philosophiæ, & inanis
fallaciæ tam expressa, tamq; diserta mentio fit, & conjungitur, ut
nihil signatiùs dici, nihil arctiùs copulari possit. sanè quidem da-
mnanda videatur, si ad ista tantùm verba subsistimus, neq; aut respi-
cimus præterita, aut sequentia contuemur. qua ratione quum non
modò Philosophiæ injuriam, sed etiam Apostolo vim indignissimam
facturi simus: alia est nobis via explanationis veritas aperienda.
Principiò nego Apostolum vel isto in loco, vel ipsa in epistola tota
ullum verbum de gentiliùm Philosophia facere. ac fortasse Philoso-
phi ipsi non magis in mente tum erant Apostolo, quàm mihi nunc
sunt Colossensium illorum majores ac proavi. quonam verò pacto
hoc planum facimus? quo alio, quàm verbis ipsius Apostoli, qui unus
suæ mentis optimus est, ac locupletissimus interpret? si igitur ca-
put istud à vertice, quod ajunt, ad calcem usque perlustraverimus,
& singulorum verborum vim, ac momenta ad perpendiculum, ut
par est, veri, & incorrupti judicij revocaverimus, ita reperiemus, lo-
qui ac sentire Apostolum de ejusmodi hominum genere, qui sapienti-
æ studium præ se ferrent, religionis speciem simularent, demissio-
ne animi & modestia. cultum angelorum repræsentarent. itaque si-
ta erat ea sapientia in mundi, seu rituum legalium elementis, ac ra-
tionis humanæ placitis, religio in circumsisione, festorum solennita-
te, sabbatorum celebratione, noviluniorum observatione, angelicæ
religionis cultus partim in animi humilitate, partim in cibi ac potus
tum delectu, tum etiam abstinentia tanta, ut corpora ad maciem
usque attenuarent: postremò singula doctrinæ, & vitæ instituta ad
eum modum comparata erant, ut Legē cum Evangelio, Mosen cum
Christo conjungerent, hoc est, umbram soli, tenebras luci, tempora-
ria æternis, humana divinis, terram denique, quod dicitur, atque or-
cum potiùs ipsum cælo summo miscerent. Vnde autem genus hoc
sapientum ac doctorum profectum sit, ambiguum ei demum esse de-
bet, qui in scriptis Paulinis hospes sit & peregrinus. nimirum pro-
veniebant novi isti Philosophi non è Lyceo Aristotelis, non ex Aca-
demia Platonis, non è Zenonis porticu, in quibus scholis, & gymna-
sij doctrina Mosis atque Christi juxtà ignorabatur: sed è synago-
gis, proscuchis, atque collegijs Judæorum, in quibus tum Judæi ipsi

tum admissi ad illorum religionem Græci versabantur, & in quibus
tam humanarum traditionum commentis, quam legis promulgatæ
divinitus sancimentis omnia personabant. hi hi sunt illi Colossen-
sum spoliatores ac præmiatores, hi sunt arbitri illi ac iudices scilicet
honorarij: qui nullo modo ferre poterant, ut novum Evangelij Chri-
sti mysterium, in quo omnes sapientiæ ac scientiæ opes reconditæ
esse dicerentur, ita acciperetur, ut antiquissima sanctissimaq; Mosis
lex, cujus ceremonijs initiati, iusionibus instituti, moribus eruditi
essent, facessere juberetur. itaque quum & ipsi Christianismum vel
simulata, & à summis tantum profecta labris professione præ se fer-
rent, vel certè vim ejus atque naturam ignorarent: quæ est ingenij
humani levitas, non injusta animi commotione irritari, aut absurdo
judicio excitari sibi videbantur, si patriam atque avitam legem pro-
pugnarent, vel saltem eam cum religione Christiana conjungendam
ducerent. quo nomine quum se mirè ac magnificè circumspicerent
tanquam aliquos de cælo delapso genios, sicutq; solis sapientiæ tum
Judaicæ, tum Christianæ amorem ac studium, adeoq; cognitionem
ac disciplinam singularem ita arrogarent, ut eam alijs policeri, ac
tradere, qua veritate, quaq; falsitate non dubitarent: propterea im-
postorum illorum fallacias Philosophiæ appellatione traduci Apo-
stolus: quippe qui caput non tenerent, illam scilicet non natam è ce-
rebro humano, sed à Spiritu Sancto proditam doctrinam, unde to-
tum corpus Ecclesiæ gentium æquè ac Iudeorum commissuris fidei
compactum regeretur, & divina caperet incrementa. neque enim
existimandum est Philosophiæ appellationem vel hoc in loco, vel
alibi apud scriptores tum ecclesiasticos, tum etiam non ec-
clesiasticos unice tantum ac restrictè accipi perpetuò de ea Philo-
sophia, quæ rerum divinarum atque humanarum, causarumq; qui-
bus hæ res continentur, scientiam profitetur: id quod multis parti-
bus aliter sese habet, ut enim sophia non tantum vim illam ac per-
spicacitatem acuminis, subtilitatis, ac solertiæ humani ingenij, quo
obscurissima quæque, ac maximè recondita perlustrantur, significat,
sed etiam cujuscunque disciplinæ, atque artis liberalis calliditatem,
ac peritiam: sic etiam Philosophia pari sensu in utroque genere à
hæc autoribus usurpatur. itaque non modò sapientior Sophocle
Euripide

Euripides, & omnium mortalium sapientissimus Socrates Apollinis
oraculo judicatus est, neque soli illi septem, qui celebrantur, sapien-
tium nomina tulerunt: sed etiam L. Atilius apud Romanos ob juris
civilis prudentiam sapiens vocatus est, qua de causa Ulpianus non
dubitat affirmare, juris consultos veram, non simulatam Philosophi-
am affectare; pariq; ratione apud Græcos ob artis præstantiam sa-
pientes habiti ac dicti sunt Phidias sculptor, Pyrgoteles sculptor, Ly-
siptus pictor, Apelles pictor, & reliqui artifices id genus atque op-
tices alij. callide igitur & ingeniosè Apostolus illam nuper confu-
tæ Pseudapostolorum ac fallorum fratrum, ut eos alibi vocat,
sapientiæ disciplinam Philosophiæ appellatione perstringit,
ut cujus rei amore ac studio tumidi incederent, ejus professionis ac
nominis ornamento ne defraudarentur. quanquam ponamus Apo-
stolum illam ipsam Græcanicam Philosophiam significasse, tamen
quum non simpliciter, & tantum, ut sic dicam, solitariè nominet Phi-
losofiam, sed adjectione apposita Philosophiam, quæ conjunctam
habet inanem fallaciam, sic enim inquit, *videte, ne quis vos decipiat
per Philosophiam & inanem fallaciam*: vel cæcus animadvertat, id
quod etiam græci interpretes agnoscunt, copulam illam explicatio-
nis vicem esse, ut hoc dicatur, cavendam esse Philosophiam, id est, va-
nam atque inanem fallaciam: non quòd Philosophia per se sit fallax
cia, sed quòd ad fallendum ab hominibus versutis adhiberi facile pos-
sit. At hoc pacto non Philosophia amplius erit, sed sophistica, seu, ut
alibi dicitur, falsò nominata scientia ipsiq; illi fallacis hujus & presti-
giatricis sapientiæ magistri, non magis in censu Philosophorum ha-
bebuntur, quàm aut medicorum in numero agyrtæ circumforanei,
aut jurisconsultorum togati vulturij, aut theologorum hæretici.
id quod non Philosophiæ, aut disciplinarum atque facultatum illa-
rum, sed hominum culpa est & viciū. at enim verò hac interpreta-
tione ac distinctione ne opus quidem esse ulla ratione videtur. aut e-
nim ego nihil planè sentio ac video, aut loquitur unicè Apostolus de
Pseudapostolorū sophistica, qui sapientiæ ac veritatis, ut dixi, amorem
mentiretur, studiū præ se ferret. disciplinā profiterentur, ideoq; Phi-
losoforū sibi nomē, nō hujus Philosophiæ, humanæ & Atheniensis, sed
illius, coelestis ac divinæ, arrogaret, quum ex traditionū superstitione,
Sc. hu-

& humanæ rationis argutijs, atque fallacijs toti essent compoſiti. na n̄ gentiles quidem Philoſophi propterea intelligi nullo pacto poſſunt, quia doctrina rerum illarum, ex quibus ſophiſtæ illi Coloffenſium ſapientiæ famam captabant, ad nullam Philoſophiæ diſciplinam ulla ex parte pertinebat. quis enim unquam ſando audivit, Philoſophorum quenquam non dico doctrinam tradidiſſe, ſed mentionem ſaltem feciſſe diſcriminis, ac celebritatis feſtorum, ſabbatorum, noviluniorum? quis delectus cibi ac potus? nam quòd Pythagorei oleribus, frugibus, ac fructibus potiſſimum victitabant, id non ſuperſtitione factitatum, ſed ſobrietatis & temperantiæ ſtudio ſciimus fuiſſe uſurpatum: quæ temperantia alumnis virtutis ac ſapientiæ unice & expediret, & commendata eſſe deberet. quis porro tam imperitus rerum æſtimator eſt, tam nullo ſenſu, ac iudicio in literis divinis, & humanis præditus, qui exiſtimet, interfuiſſe Philoſophiæ laborare aut quærere, utrum Coloffenſes circumciſionis, an baptiſmi ſacramento initiarentur, Iudæi eſſent, an Chriſtiani, Legem obſervarent, an Evangelium? quod ſi obijciatur Philoſophos illos ad Iudæorum religionem aſſectos fuiſſe: referemus nos, hoc ipſo Philoſophos illos jam non amplius gentiles Philoſophos fuiſſe, ſed Iudaicos, neque eos Ariſtotelis, aut Platonis ſectam, ſed Moſis diſciplinam ſecutos eſſe, verum in re manifeſta cur aut longiore oratione utor, aut patientiſſimis veſtris auribus abutor, qui hæc ita ſe habere melius ipſi per vos intelligitis, quàm ipſe poſſim exponere? & per Deum immortalẽ quam tandem cauſam habere Apoſtolus poterat Philoſophiam tam duro genere tractandi? non enim ſi rabulæ, ac blateronis convicio vapularat Athenis, poſteaquam Epicurei cum eo ac Stoici contulerant, ideo tam muliebri ingenio, ac potiùs agreſti ſupercilio fuiſſe putandus eſt, ut injuriam illam tam parum civiliter ulciſci vellet. ſed quid verba perdimus in eo, quod cum obrectatione omni majus eſt, tum etiam Apoſtoli ipſius autoritate confirmatur? in quam rationem quum multa laudari teſtimonia luculenter poſſint, nos unum atque alterum citare ſatis habebimus. ſic igitur ſuos ad Romanos ille, *Quæ Dei inſpectabilia ſunt, inquit, cujuſmodi eſt ipſius ſempiterna potentia, atque divinitas, ea ex mundi creatione, dum conſiderantur per opera, perſpiciuntur.* horum verborum ductu ſi in amplificationis tanquam

Pöeta



quam Campum excurrere, & singula quæque explicare pro dignitate ac persequi velim, quàm id mihi auspiciatum, quàm non difficile, quàm amplum, jucundum, ac gloriosum foret? quæ igitur alia disciplina mundum hunc, & res in naturam productas contemplatur atque investigat, quàm Philosophia? quæ aliæ in hoc cognitionis studio literæ versantur, quàm physicæ, ac mathematicæ? jam quum Philippenses jubet curare atque agere, quæ vera sunt, quæ gravia, quæ iusta, quæ casta, quæ amabilia, quæ honorifica, & fausta, si qua virtus, & si qua laus est, quis non videt, cum de ea Philosophiæ parte, quæ ista virtutis ac laudis præcepta tradit, & vitam moresque instruit, quam ethicam vocamus, præclarissimè & loqui & sentire? quid porrò de logicis illis nostris sive artibus, sive facultatibus, sive etiam armis, atque instrumentis existimet, ignorare nemo potest, nisi qui in luce illa Paulinæ subtilitatis, ac vehementiæ cum differendi, tum dicendi oculis caliginosis, aut mente stupida versatus est. nam quid de poëtica dicam, illo antiquissimo, ac liberalissimo doctrinæ genere, cuius eum perstudiosum fuisse non solum innuit armatura spiritualis ad Ephesios descripta, & ex Homero, ut suspicari aliquis neque impiè, neque ineptè possit, quodammodo repræsentata; sed etiam clarissimè restantur monumenta aliquot è vatum græcorum voluminibus allegata. atqui hoc ipso in genere ridicula est hominum quorundam superstitio, qui poëtas, illos Philosophiæ penè dicam parentes, aut planè rejiciunt, tanquam omnis bonæ frugis expertes, aut nisi castratos, & ab obscenitate, si virginibus istis vestalibus creditur, perpurgatos non recipiunt. quanquam de Martiali, & ejusmodi Floræ ac Veneris sacerdotibus infibulandis, & ipse assentior: Horatium verò, Virgilium, Terentium, & alios bonos scriptores evirari quis æquo animo ferat? at Afrum illum, ut de ceteris taceam, nescio quis nuper Popa, è societate videlicet monachorum politicorum, ad hanc faciem deformavit. in quo ille insanientem suam sapientiam planissimè prodidit. quid enim habet tandem Terentius obsceni? an quia fingit Cheream nescio cui ostio pessulum obdidisse, ideo intestabilis faciendus est Terentius? quasi verò illud non hodieque fieri soleat. at si quis in vita communi virtutes viciisque versantur, in scenam afferri non debent, prius vitam ipsam communem tollant, aut emendent: ane-

C

quam

poëta ?

quam fabulas, illud faciendorum fugiendorumque exemplar atque Speculum, explodant & ejeciant. Tum autem quid facient omnis generis historicis, Hebraeis, Graecis, & Latinis, qui eadem illa, aperta, quod dicitur, fronte commemorant: & in quibus praeter stupra, & adulteria, incestus etiam, ac nefaria alia flagitia legimus? Verum longius ab eo, quam putarā. Hoc tantum intelligi volo: neque Solonibus illis dicā, an Scipionibus? fidē, iudicij, aut castitatis habendā: & Poetas Apostoli quoque testimonio non usquequaque explodendos esse. jam si poëtica, quæ tamen non uno nomine malè audit, sed hominum potius vicio, quam ulla sua culpa, apostolicam laudare auctoritatem potest: multò magis laudare poterunt graviores illæ facultates, oratoria dico, historia, & ipsa in primis omnium parens laudandarum artium, ac procreatrix Philosophia, quod ita se habere quoniam non obscuris, aut infirmis argumentis ostendisse nobis videmur: non est scilicet prolixior ad eam rem disputatio comparanda, quamquam poteram ab initio hac longè verissimā, atque expeditissimā responsione, quam etiam superius attigi, jure optimo semel defungi: si quid vel in sacris literis scriptum, vel in sanctorum Patrum monumentis dictum, vel denique in historijs proditum legitur, quo Philosophiæ causa periclitari, ac lædi videatur: id non de Philosophia intelligendum, sed Philosophis, hoc est, non de re, sed de hominibus: quorum aliqui singulari hoc, & ad humani generis partim commoditates, atque opportunitates maximè necessarias, partim ad dignitatē honestissimam, ac voluptatem liberalissimam divinitus concesso munere vanè fuerunt, aut perniciosè abusi. ac quantum abest usus perverfus & pravus ab usu legitimo & bono: tantò altius Philosophiæ innocentiam extra omnem criminationis injuriam constitutā esse appareret. id quod in alijs etiā facultatibus, ac disciplinis usu venire nullo negotio declarassem. quis enim tam iniquus, & imperitus est, qui medicinæ ascribat, quòd aut medicamentarij improbè, aut calculicidæ temerè, aut venenarij exitiosè arte saluberrima utuntur? quis juris prudentiæ, quòd forenses aliquot harpyiæ æquissimas legum sanctiones, injuriæ & calumniarum faciunt instrumentum? quis denique Theologiæ, quòd sacrosancta divini verbi scientia tot factiosi, ac malè feriati homines omnibus seculis ad Ecclesiæ pertur-

perturbationem, & suam, aliorumq; perniciem ac pestem abusi sunt.
Ivissim deinceps per artes singulas, nec minus illas mechanicas,
quàm humaniores alteras, & quid inter usum, atque abusum interese
set, ostendissem. *Verùm. hæc ipse. equidem. spacijs. exclusus. iniquis*
Præterq;, atque alijs post me memoranda relinquo,
ut claudam poëtæ versibus. Ac fortasse nos quoque in hanc senten-
tiam, si usus exiget, non solum plura, sed etiam ornatiora aliàs, ac
pleniora dicemus: interea, ut res ac ratio horum
temporum tulit, isto Catone con-
tenti simus.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to be organized into several lines or paragraphs.



153456

ULB Halle 3
002 677 407



VD 77



omnibus. Sanctus sanctus

Communicantes et noctem ut dicitur
sacratissimam celebrantes. qua bea-
tissime intemerata virginitas. huius mundi
salvatore. Sed et memoriam venerante-
mus eiusdem gloriose semp vir- ginis mar-
tris eiusdem dei et domini nostri ihesu christi. Sed et
torum apostolorum tuorum

Communicantes. et diem sacratissimum celebra-
tes. quo unigenitus tuus in tua terra gloria. natus
in veritate carnis nostre visibiliter carnaliter
apparuit. Sed et memoriam

Communicantes et diem sacratissimum celebra-
tes. quo dominus noster ihesu christus pro nobis est
Sed et memoriam. Hanc igitur oblationem





14.
ADAMI THEO
DORI ADAMI F.
SIBERI,

PROFESSORIS ELOQUENTIAE,

ORATIO

Pro

PHILOSOPHIA,

habita

in renunciatione magistrorum,

ad ante diem quintum Idus Martij,

ANNO

Millesimo sexcentesimo.

VVITEBERGAE,

Apud Paulum Helwigium,

Typis Mullerianis.

9

